



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. An actus Charitatis sit ultima ad Gratiam dispositio, & à quo
proveniat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

motivum requisitum ad fidem strictam, ut credat, quia Deus summè sapiens, & verax revelavit, sed tantum obligat ad assentiendum rebus à Deo revelatis; ergo assensus supernus rerum à Deo revelatarum sufficiens erit ad justificationem peccatoris, quamvis non sit actus fidei strictæ, proindeque actus fidei strictæ non requiritur necessitate mediæ ad justificationem peccatoris adulti. Respondeo conc. ant. & nego conseq. Ratio discriminis inter utrumque est, quia in casu assignato protestationis fidei Ecclesiæ intentio est, obligare ad amplectendas eas veritates revelatas, erroresque oppositos rejiciendos, quod sufficienter fit per illum assensum de objectiva fide, seu de objectis revelatis, quantumvis actus fidei non sit; at in casu nostro non solum vult Deus, quòd rebus revelatis assentiamus, sed quòd ipsi Deo credamus, quòd absque actu fidei non sit; neque aliter Christus dedit adultis peccatoribus potestatem, ut filii Dei fiant, nisi credendò in Nomine ejus, ut diximus num. 7. 1. & constat à num. 60.

77. Objicies 3. contra secundam assertionem. Tridentinum citatum num. 6. 2. apponit actum spei inter dispositiones prævias ad justificationem peccatoris adulti, & Ambrosius lib. 1. de pœnitentia Cap. 1. dixit: *Nemo potest agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam*; ergo non solum requiritur spes, quando datur attritio, sed etiam, quando adest perfecta contritio. Respondeo permitto conseq. quæ non militat contra nos; jam enim diximus num. 72. valde probabile esse, nunquam in hac providentia moveri peccatorem adultum ad eliciendam perfectam contritionem, quin prius elicuerit actum spei. Dixi permitto, quia probabile est, non prærequiri necessitate mediæ, licet regulariter præcedat in hac providentia actus formalis spei ex parte voluntatis, si adest perfecta contritio, qui, cum nobilissimus sit inter omnes voluntatis actus, jam præcontinet virtualiter actum spei; quod non militat in fide, cum ex parte intellectus non detur in via actus alius nobilior fide, in quo actus fidei virtualiter contineatur, ut diximus num. 64. quapropter aliqui cum Vega lib. 6. in Trid. cap. 12. contendunt, de facto Magdalenam, Matthæum, Paulum, & Dismam elicito fidei actu immediatè prorupisse in contritionem perfectam.

SECTIO II.

An actus charitatis sit ultima ad gratiam dispositio, & à quo proveniat?

78. **A**spero i. cum D. Thoma, Eximio Doctore, omnibusque ferè Thomistis, & nostris contra Vasquez, & alios. Actus charitatis, seu

contritionis perfectæ non est forma sanctificans, sed est ultima dispositio ad formam sanctificantem. Prob. 1. Actui charitatis, seu contritionis perfectæ promittitur justificatio in Sacra Scriptura tanquam novum omnino, & distinctum beneficium, & donum; sic Deuteronomij 4. *Cum quaeseris Dominum Deum tuum toto corde, invenies eum.* Jeremiæ 29. *Quæritis me, & invenietis, cum quaeseritis me in toto corde vestro.* Isaiæ 30. juxta versionem septuaginta Interpretum de actu perfectæ charitatis, seu contritionis perfectæ dicitur: *Cum reversus ingrueris, tunc salvus eris.* Circa quæ plura alia videri possunt testimonia à num. 351. De virtute pœnitentiæ; ergo non est forma sanctificans, sed ultima tantum dispositio ad formam justificantem. Confirm. 1. ex Tridentino, quod, postquam sess. 6. cap. 6. enumeravit dispositiones ad justificationem prævias, quas inter apponit amorem indeterminatè, & vagè requisitum spei scilicet, vel charitatis, ut late dixi à num. 330. de Virtutibus Pœnitentiæ, statim incipit cap. 1. per hæc verba: [Hanc dispositionem, seu præparationem justificationis ipsa consequitur;] ergo non est forma sanctificans, sed est ultima dispositio, ad quam consequitur forma sanctificans. Confirm. 2. ex eadem sessione 6. can. 3. ubi loquendo de dispositionibus tam intra, quam extra Sacramentum Concilium enumerat dilectionem, quæ contrahi potest tum ad spem, tum ad charitatem, ut constat ex num. 60. ergo &c.

Prob. 2. ex Trid. sess. 14. cap. 4. ubi de dispositione ad justificationem requisita ait: *Fait autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, quibus in verbis manifestè loquitur Tridentinum de contritione præscindente à perfecta, & imperfecta; ita, ut ea contritio contracta ad illam, quæ disponit ultimò ad justificationem extra Sacramentum, sit actus perfectæ charitatis, seu contritio perfecta.* Contracta vero ad contritionem sufficientem cum Sacramento sit quævis ex illis, nimirum aut contritio perfecta, aut imperfecta. Etenim ante legem Evangelicam non sufficiebat imperfecta contritio. In lege verò Evangelica, cum justificatio fieri possit non solum extra Sacramentum, sed etiam intra Sacramentum pœnitentiæ, ut in eodem capite definit Tridentinum: *Contritio perfecta est ultima, seu proxima dispositio ad justificationem etiam extra Sacramentum.* Attritio autem, seu contritio imperfecta est ultima, seu proxima dispositio ad justificationem cum Sacramento Baptismi, aut Pœnitentiæ; ergo &c. Confirm. ex eodem Tridentino sess. 6. can. 9. ubi ait: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita, ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, cum sue voluntatis motu preparari, atque disponi, anathema sit;* ergo, si prælucente fide

immediate prorumpat peccator in contritionem perfectam, illa contritio perfecta erit preparatio, & dispositio ad justificationem.

80. Prob. 3. Ratione Theologica. Contritio perfecta, aut actus charitatis se solo, cum non sit tantæ bonitatis in ratione moris, ac malitiæ est peccatum lethale, ut latè dicemus in Tractatu de Incarnatione, non potest esse incompossibilis cum peccato lethali sive commisso, sive contracto per modum meriti, aut autè condignæ satisfactionis. Rursus non potest esse cum eo peccato incompossibilis per modum formæ physicae; aliter expelleretur peccatum, quamvis ea contritio sine libertate poneretur in anima; sicuti illud expellit gratia habitualis, et patet in parvulis; atqui in adultis sine prævio, & libero voluntatis motu non potest dari in hac providentia remissio peccati, ut constat ex Tridentino citato num. superiori; ergo &c. Quamobrem hæc opinatio P. Vasquez, quam in hac nostra Schola primùm tradere promiserat, non benè audivit, ideoque restrictus fuit à Superiore Societatis, ne illam in Schola ista aut doceret, aut defenderet, ut refert Cardinalis Pallavicinus in Vendicationibus Societatis cap. 27.

81. En ejus verba: *Gabriel Vasquez Vir ille ingenio, atque erruditione, dum viveret (fortiter dicam) nulli secundus, cum hic Roma Theologiam profiteretur, eam tradere sententiam parabat, quam postea Typis ita suavit, ut multis magni nominis persuaserit, amorem Dei super omnia hujusmodi actum esse, qui per se, & etiam, si cum ab omni habitu divinitus infuso incomitatu animò complectamur, admissi peccati maculam delectat, & in adoptivos Dei filios amantes transcribat.* Hæc sententia paulò novior tunc Theologicis auribus accidebat; ideo à summo Societatis Moderatore facescere iussa ab hoc Gymnasio, quæ tamen rectionis nostræ mollitudo est, aut Gabriel adactus ad contrarium edocendum; sed citius permillum, ut Romana hæc Academia tanto Doctore, quam ut severa illa opinandi cautione, spoliaretur. Hucusque Palavicinus. Ex quo satis apparet, quam antiqua, atque constans apud Theologos fuerit assertio nostra.

82. Affero 2. cum Divo Thoma, plurimisque Thomistis, quos contra Gonet citat, & sequitur Contempson dissert. 4. Cap. 1. Scoto, ejusque Schola, Eximio Doctore lib. 8. de justificatione Cap. 11. & communi Nostrorum contra Vasquez, Valentia, Torres, & aliquos Thomistas. Ultima dispositio ad gratiam habitualem sanctificantem non procedit physice effectivè ab ipsa gratia. Probat. 1. Quando peccator per dilectionem, seu contritionem perfectam ultimò se disponit ad gratiam habitualement justificantem, ea gratia justificans confertur peccatori, quia contritus est, ut constat ex testimoniis Scripturæ, & Trident. adductis à num. 78. atqui, si ea contritio produce-

retur physice effectivè ab illa gratia justificante, talis gratia non conferretur peccatori, quia contritus est; ergo &c. Probat. 2. Peccator non potest esse contritus, antequam habeat principium per se requisitum ad eliciendam contritionem, ut ex ipsis terminis constat; etenim homo nequit esse intelligens priori ad intellectum, aut volens pro priori ad voluntatem, ex eo, quòd intellectus sit principium per se requisitum ad intellectionem, & voluntas ad volitionem; ergo, si gratia justificans esset principium per se requisitum ad eliciendam contritionem, contritio non posset se habere pro priori ad gratiam, ac proinde talis gratia conferri non posset peccatori, quia est contritus, sed potius ut contereretur. Confirmatur. Gratia justificans non est in hac providentia componibilis cum peccato; atqui principium per se, quo peccator se liberè disponit per contritionem perfectam ad expulsiorem peccati est componibile cum peccato, ut latè constat ex dictis num. 254. & 461. de auxilijs; ergo &c.

83. Responder 1. Gonetus cum alijs modernis Thomistis, veram esse istam causalem: *Gratia confertur peccatori, quia contritus est*, exinde autem non probari, quòd contritio non procedat physice effectivè à gratia, ad quam ultimò disponit, cum sit etiam vera ista causalis: *Homo est contritus, quia habet gratiam habitualement*. Ratio ejus est, quia gratia justificans exercet duplex munus, nimirum & auxiliij moventis, & formæ sanctificantis. Unde prima causalitas est vera, quia intelligitur de gratia, ut habet rationem habitus, & formæ sanctificantis. Secunda causalitas etiam est vera, quia intelligitur de gratia, ut gerit vices auxiliij, & prout est in fieri, seu infundi. Sic in ordine naturali istæ causales sunt veræ, fenestra aperitur, quia ventus aulam ingreditur: ventus aulam ingreditur, quia fenestra aperitur; pariter istæ: anima unitur corpori, quia est organicum, seu ultimò dispositum ad eam recipiendam, corpus est organicum, quia anima ei unitur, & corpus informat; atque in hoc sensu dixit Aristoteles causas sibi esse invicem causas, ideòque, quod causat aliquid in aliquo genere causæ, potest ab ipso causari, & dependere in alio genere causæ. Quamobrem cum ultima dispositio ad gratiam, & ipsa gratia sint causæ in diverso genere, nulla est repugnantia, quòd contritio sit causa gratiæ dispositiva, & gratia sit causa contritionis physice effectiva; ex quo facile conciliantur & ratio Theologica, & testimonia omnia à nobis adducta.

84. Contra 1. Licet non repugnet mutua prioritas in diverso genere causæ, ut patet in causa finali, & physica; causa enim finalis est prior in intentione, & causa physica est prior in executione, sic prius intendo salutem, quam medicamentum; at prius physice apponitur medicamentum, quam adsit salus. Cæterum in eodem genere causæ manifestè repugnat mu-

tua prioritas, ut diximus num. 482. de auxilijs. Sic repugnat quòd, duæ causæ primò & per se ad invicem se producant. Causa enim producens debet esse pro priori naturæ ad productam; proindeque, si producta produceret primò, & per se suam causam productivam, existeret ante illam, atque exinde ante se ipsam: existeret quippe, antequam produceretur, cum produceretur ab alia, & existeret ante aliam; & sic esset prior naturâ, simulque naturâ posterior altera, quod, utpote in eodem genere prioritatis omnino repugnat; sed hoc ipsum eveniret in casu nostro. Cum enim Deus à contritione existente in anima moveatur ad producendam gratiam, contritio esset prior naturâ gratia; deinde gratia, si esset causa primò per se productiva contritionis, esset prior naturâ contritione; ergo &c.

85. **Contra 2.** Et utor Adversariorum exemplis. Quando aër fenestram aperit, & aulam ingreditur, duplex adest aëis motus, alter effectivus, quo, dum existit extra aulam, producit impulsivum non producit intra aulam, quando fenestram jam est aperta, & aër ingressus est, sed extra aulam, quando fenestram erat clausa. Alter est motus, quo aër suam præsentiam acquirit intra aulam: atque ad hunc motum requiritur, quòd fenestram jam sit aperta. Unde primus motus est naturâ prior aperiitione fenestram, neque provenire potest ab aëre præsentem intra, sed extra aulam; ita scilicet, ut, si Deus fineret aërem producere impulsivum illum aperiitionem fenestram, & impediret, ne aulam ingrederetur, maneret totum id, quo fenestram aperitur ab aëre. Sicuti, quando lapis imprimit impulsivum aperiitionem fenestram, quin aulam ingreditur, maneret totum id, quo lapis fenestram aperit, quin aulam ingreditur. Quare primus aëris motus ad producendum impulsivum, quo aperiatur fenestram, cum sit prior naturâ aperiitione fenestram, nequit subsequi, sed necessariò præcedit illam aperiitionem, proindeque ista causalis à priori est falsa: ideo fenestram aperitur, quia aër aulam ingreditur, solumque est vera à priori ita: ideo fenestram aperitur, quia aër producit impulsivum illam aperiitionem; atqui ad eum modum Deus ideo infundit homini gratiam, quia homo est contritus; ergo contritio nequit esse effectus, aut naturâ posterior infusione gratiæ, sed duntaxat potest esse naturâ prior.

86. **Pariter corpus organicum dupliciter considerari potest.** Primò quidem organicum per dispositiones accidentales ad animæ unionem prærequisitas, vel organicum per substantiale complementum illis dispositionibus superadditum, & prærequisitum ad operationes viventes in corpore organico. Si primo modo consideretur, hæc est falsa causalis à priori: ideo corpus est organicum, quia anima ei unitur, & hæc est vera: ideo anima ei unitur, quia corpus est organicum; atqui eodem mo-

do requiritur, quòd homo sit contritus, ut Deus producat gratiam, eamque homini infundat, quandoquidem hæc à Deo producitur, & homini infunditur, quia contritus est; ergo &c. Quare doctrina ista omnibus alijs similibus exemplis adhibenda est, ne principia vera, atque lumine naturæ nota falsitati obnoxia proponantur. Sic, quando duæ columnæ ad modum crucis ad invicem sustentantur; ita, ut deficiente ea, quæ ex transverso est, caderet etiam ea, quæ erat recta, aut ea cadente, quæ erat recta, caderet etiam illa, quæ erat ex transverso, nequaquam exinde dari potest mutua prioritas in eodem genere.

Ratio est, quia ideo illæ duæ columnæ cum tali artificio firmæ persistunt, quia constitutum compositum accidentale ita tendens in centrum, ut nec pars dextra, nec pars sinistra valeat utriusque ponderi, quo sistit fundamentum, sive compositum illud accidentale includat tamquam contiguam unionem partium utriusque columnæ præsentiam ita ordinatam, vel hanc, aut illam extrinsecam correspondentiam ad locum extrinsecum, aut quicquam aliud juxta diversas Philosophorum sententias, cum autem tale compositum accidentale non constituatur ex una sola, sed ex duabus simul columnis, exinde stabilitas illa non stat in una sola, sed in utraque simul columna; quare, cum non possit esse prius naturâ partibus, sed potius partes sint quasi priores naturâ toto, sive accidentali illa præsentia, quæ est quasi modus totius; exinde nulla columna dici potest prior, & posterior naturâ respectu alterius; verum de his latius in Philosophia.

Respondent 2. alij Thomistæ cum Cajetano, quos etiam sequitur Gonerus, gratiam habituales esse priorem contritione, quatenus ea gratia se habet ex parte agentis exercendo munus motionis, & auxiliij; esse autem posteriorem, quatenus se tenet ex parte passi exercendo munus gratiæ justificantis. Quare est prior, & posterior, non quidem sub eodem, sed sub diverso respectu, quod non implicat. **Contra 1.** Auxilium excitans, movens, aut præveniens, ut constat à num. 18. de Auxil. non est gratia habitualis, aut qualitas mortua, sed est actus vitalis; ergo gratia habitualis non exercet munus talis auxiliij moventis. **Contra 2.** Gratia habitualis non producitur à Deo in peccatore adulto, nisi quando jam est dispositus per contritionem. Datur enim homini, quia contritus est; ergo pro priori ad gratiam habituales jam est producta contritio, ac proinde ante productionem gratiæ habitualis præcellit illi auxilium movens prærequisitum ad eliciendam contritionem. **Contra 3.** Virtus motiva, & virtus justificativa esset eadem realiter cum gratia habituali, atqui inter formalitates creatas realiter identificatas nequit convenire realiter absolute uni, quod non convenit alteri, proindeque non potest una realiter producere, & non altera; aliter inter illas daretur distinctio.

Actio realis in tertio, ut constat à num 130. de Deo, quæ inter prædicata creata repugnat; ergo &c.

89. Respondent 3. alij Thomistæ cum Soro, contritionem prout procedentem à voluntate esse priorem gratia habituali, cum sit causa talis gratiæ: at, ut procedentem à gratia habituali non esse illâ priorem, neque causam talis gratiæ, sed esse effectum, & posteriorem. Contra 1. Contritio, quæ disponit ad gratiam, est supernaturalis, ut constat à num 60. atqui contritio supernaturalis nequit procedere à sola voluntate; ergo procedit à gratia; atqui ante contritionem non est gratia habitualis in anima, sed gratia actualis, & præveniens; ergo &c. Contra 2. Homo non se habet mere passivè in ordine ad contritionem, qua se disponit ad gratiam, sed verè, & realiter elicit illam contritionem se liberè exercendò, ut constat ex Trident. sæpius adducto; ergo pro signo priori ad elicentiam contritionis præcedit in homine gratia prærequisita ad elicendam liberè contritionem; atqui pro illo priori ad contritionem non præcedit gratia habitualis; ergo &c.

90. Respondent 4. Vasquez, & Turrianus, gratiam habitualement, ut productam esse priorem contritione; at ut unitam animæ esse contritione posteriorem; quare facile componitur, & quod gratia habitualis sit causa per se contritionis, & quod conferatur homini, quia contritio. Contra tamen 1. Deus in hac providentia non producit gratiam extra subiectum, proindeque, quando eam producit, producit illam unitam subiecto; atqui apud Adversarios contritio nequit procedere in hac providentia à gratia habituali unita subiecto; ergo neque à gratia habituali in hac providentia à Deo primò producta. Contra 2. Gratia ut unita subiecto est in hac providentia gratia ut justificans; quandoquidem gratia habitualis in hac providentia nequit conjungi cum peccato, ut constat ex dictis; atqui principium ad elicendam in hac providentia contritionem, qua peccator se disponit ad gratiam habitualement, est indifferens ad utrumque, atque componibile tum cum peccato, tum cum contritione disponente ad gratiam expellentem peccatum; ergo gratia habitualis in hac providentia nullo modo esse potest principium per se requisitum ad elicendam eam contritionem.

91. Probat 2. conclusio ex Divo Thoma 1. p. quæst. 62. a. 2. ad 3. *Conversio est, per quam aliquis preparat se ad gratiam habendam, & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia.* Quid clarius. Tum etiam prim. 2. quæst. 109. a. 2. in Corp. *Ad hoc, quod d. preparat se homo ad susceptionem doni gratia habitualis, non oportet presupponere aliquod aliud donum habituale in anima; quia sic procederetur in infinitum, sed oportet presupponere aliquod auxilium gratuitum Dei interitis animam moventis, sive inspirantis bonum propositum.* Rursus 3. p. quæst. 82. a. 1. ad 2. *Actus primus penitentis se*

habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam; alij verò consequentes actus penitentia procedunt jam ex gratia, & virtutibus. Tum etiam quæst. 22. de veritate a. 8. eandem nostram sententiam latè docet, & probat Divus Thomas. Quare, ait Contempson supra citatus, Thomistæ, qui cum Gonet contrariam sententiam defendunt, manifestè contradicunt Divo Thomæ.

92. Affero 3. cum Cardinale de Lugo disp. 8. de Incarnatione, Arriaga, Oviedo, & comuni Nostrorum contra Ripaldam, Aldretem, quos refert Iquierdo tom. 2. de Deo disp. 42. neque de potentia absoluta potest contritio primò produci ab habitu, ad quem primò producendum ultimò disponitur. Prob. 1. Si aliquomodo posset contritio excogitari de potentia absoluta ultimò disponente ad talem habitum, esset vel ex vi decreti intentivi, in quo jam prævideretur contritio absolute futura, & sufficiens dispositio ad habitum, à quo per decretum executivum produceretur, vel ex vi decreti præcisè disjunctivi, quo Deus decerneret contritionem ut duo, eamque postea produceret, aut ab habitu perfectò ut duo, aut ab habitu perfectò ut quatuor; ita, ut ea contritio in decreto disjunctivo absolute prævisa moveat Deum, & Deus ex complacentia illius contritionis decernat postea illam producere per habitum ut quatuor; quo in casu, licet habitus ut quatuor secundum duos primos ejus gradus non possit esse præmium; at secundum alios duos jam esset principium, & præmium illius contritionis: atqui neque hoc modo potest contritio ultimò disponere ad primò producendum habitum, à quo ipsa primò producit; ergo &c. consequenter, & maj. est unicum Adversariorum fundamentum.

93. Minor verò probatur. Contritio nequit esse dispositio moralis, aut meritum alicujus præmij, nisi ut prævisa jam in se ipsa per determinata principia absolute futura; aliter ipsa contritio, ut prævisa in decreto pure intentivo posset esse dispositio ad se ipsam, & meritum sui ipsius ad existendum in se ipsa per decretum executivum, quod est contra lumen naturæ, contra omnes Theologos, & contra ipsos Adversarios; atqui contritio præcisè, ut prævisa in decreto intentivo, aut decreto disjunctivo non est contritio in se ipsa prævisa per determinata principia; etenim in se ipsa nequit ita prævideri extra causas, nisi pro signo sequenti ad causas, à quibus per se determinatè procedit; in signo autem decreti pure intentivi, aut pure disjunctivi adhuc non videntur absolute futuræ causæ, à quibus producenda sit contritio, quandoquidem producenda est per decretum executivum, & determinatum subsequens decretum intentivum, & disjunctivum; ergo præcisè ex vi decreti intentivi, aut disjunctivi non adhuc prævidetur contritio moraliter disponente, aut merens habitum, à quo ipsa primò producenda sit.

Contra.

94. Confirmatur 1. Ex vi decreti præcisè intentivi, aut disjunctivi non potest contritio mereri primam gratiam, seu primum auxilium; aliter primum auxilium non esset gratia, sed merces, quod dici non potest; atqui nulla alia ratio assignari potest, nisi quia ex vi decreti præcisè intentivi, aut disjunctivi, cum non adhuc videatur decretum determinatum, & executivum, à quo contritio per se procedit, videri nondum potest disponens, aut merens; ergo &c. Confirmatur 2. In eo distinguitur meritum à causa finali, quòd causa finalis movet, ut sit; sic apponimus media, ut sit salus: at causa meritoria movet, quia est; ita, ut jam sit absolutè prævisa in se ipsa pro sua differentia temporis dependens à causis, à quibus per se procedens ut moveat ad præmium; atqui non potest in se ipsa ita prævideri exitura pro sua differentia temporis, nisi pro signo sequenti ad decretum determinatum, & executivum, à quo per se procedet in sua differentia temporis; ergo &c. Confirmatur 3. Contritio præcisè ut disjunctivè intenta non potest mereri se ipsam, ut determinatè, & in executione ponendam, ex eo, quòd disjunctivè intenta nondum dici potest movere, quia est; ergo &c.
95. Prob. 2. Contritio, ut adversarij faterentur, licet de potentia absoluta posset, at connaturaliter, sive de potentia ordinaria nequit disponere ad habitum, à quo primò per se producitur; atqui fundamentum Adversariorum eodem prorsus modo probaret de potentia ordinaria, & connaturali vi contritionis, ac probaret de potentia absoluta; ergo, sicut fundamentum illud apud Adversarios est falsum de potentia ordinaria, ita etiam de potentia absoluta. Prob. ant. Absque ullo miraculo, & absque ulla rerum violentia potest Deus pro libito suo decernere contritionem per decretum purè intentivum, aut disjunctivum, atque pro signo sequenti elicere decretum determinatum, & executivum, quo contritio pro sua temporis differentia, reducenda sit extra causas; sed quòd ita fieri potest absque ulla violentia, & miraculo, non est supra connaturalem vim contritionis, neque fieri potest duntaxat à Deo de potentia extraordinaria, verum etiam de potentia ordinaria, ut ex ipsis terminis patet; ergo &c. Ex dictis
96. Fit 1. Principium meriti non posse cadere sub meritum. Ratio est, quia actus meritorius non est meritum, nisi prout se ipso prævideatur absolutè futurus, & pendens à suis determinatis causis pro sua differentia temporis: atqui Deus moveri non potest ab actu ita in se ipso absolutè præviso pro sua differentia temporis ad decernenda ea principia determinata, à quibus ille actus per se producitur; quandoquidem, ut ille actus in se ipso pro sua differentia temporis ita absolutè prævideatur, necesse est, ut Deus jam decreverit pro signo priori ea principia conferre; ergo &c. Fit 2. Creaturam non posse mereri primam gratiam.

Ratio est, quia pro signo priori ad primam gratiam prævideri non potest in se ipso pro sua differentia temporis absolutè futurus ullus actus supernaturalis, proindeque Deus non potest ab illo actu moveri ad primam gratiæ collationem: sed hoc requirebatur, ut creatura mereri posset primam gratiam; ergo &c. Fit 3. Creaturam per unum actum elicivum virtutis gratiæ posse mereri alteram gratiam ad elicivendum alium actum: Ratio est, quia in eo casu ex actu absolutè præviso movetur Deus ad dandam gratiam subsequenter actum, atque merito ipsius actus respondentem, quamnam autem gratiam possit homo mereri de congruo, quamnam verò de condigno, dicemus in Tractatu de merito.

SECTIO III.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. contra primam conclusionem. Sæpè in Sacra Scriptura dicitur, *Deus diligit diligentes se*; ergo actus charitatis est jus ad divinam redamationem, proindeque forma sanctificans. Confirmatur 1. Juxta Tridentinum sess. 14. cap. 4. adscribitur justificatio actui perfectæ charitatis: sed non absterberetur illi, si non esset forma sanctificans; ergo &c. Confirm. 2. aliorum Patrum testimonijs, que affert Vasquez, in quibus charitas actualis aliquando dicitur pulchritudo, & sanctitas animæ, aliquando verò justitia, remissio, & destructio peccatorum; quandoque conformatio, & assimilatio cum Deo: sed ista sunt propria munera formæ sanctificantis; ergo &c. Confirm. 3. ex alijs Patribus dicentibus, homines diligendos Deum fieri Dei amicos. Quare D. Bernardus ait: *Amor per se sufficit, & per se placet, & propter se*: tum etiam Augustinus supra illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*, ait: *Si Deus non reciperet confugientes ad se, esset in eo iniquitas*: sed hæc haberi non possent, nisi actus perfectæ charitatis esset forma sanctificans; ergo &c.

Resp. 1. conc. ant. & neg. conseq. quia Deus diligit diligentes se ex sua promissione, qua misericorditer voluit in hac providentia non denegare gratiam sanctificantem, & constituentem filios Dei, sed eam concedere illis, qui actu perfectæ charitatis Deum diligunt: hoc autem non habetur ex jure talis actus ad redamationem. Si enim plebejus, qui graviter offendit Regem, licet postea Regem diligat, & affectivè sit amicus Regis, non ex eo est effectivè amicus, neque habet jus ad amicabilem redamationem; quanto minus homo, licet Deum diligat, sitque affectivè Dei amicus, non exinde erit effectivè amicus Dei, aut habebit jus ad divinam redamationem? Amicitia enim effectiva, sive constituens amicos, hæc in mutuo jure ad redamationem inter eos, qui eadem speciali natura gaudent, quod habetur